



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Iurisconsulti De Officiis Magistratvs, Et
Svbditorvm In Repub. tàm ciuili, quàm literaria**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1452

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00027814-7




L. VI

9

Th. 5859.





NICOLAI REVSNERI
Iurisconsulti

DE OFFICIIS
MAGISTRATVS,
ET SVBDITORVM IN RE-
pub. tam ciuili, quàm literaria,
ORATIO

IN PROGRESSIONIBVS SO-
lennibus Collegij Lauingani, vnà cum
Problematis quibusdam, publicè
habita. XII. KAL.
M A I A S.



ANNO CL. IS. XXCI.

NICOLAVS
REVSNERVS LV-
DOVICO VVALTHERO DRECH-
selio, VValtheri Iuriconsulti, & Can-
cellarij Palatini filio
S. P. D.



MULTIS EGO
te nominibus
amo, & carum
habeo, LVDIVI-

CE GVALTHERE: non solùm
quòd maximis & ppinqui-
tatis, & affinitatis vinculis
nos inter nos conjuncti fu-
mus: verùm multò magis
ob patris tui, quem merito
suo & diligo, & colo, virtu-
tem, & doctrinam eximiam:

A ij tùm

tum verò ob spem indolis, au
& virtutis de te conceptam d
qua futurum omninò confi ti
do; vt per te Respublica, & ce
patria aliquādo plurimū ve
adjuuari, & ornari possit te
Qua in spe, & expectatione re
indolis, virtutisq̄ue tuæ non ca
solūm ego libenter acquie is
sco: sed & pater ille tuus; vit ac
sanè magnus, & magna au an
toritate, sapientiaq̄ue præ qu
ditus: & cæteri propinqu ne
omnes, cognatiq̄ue optimè ci
conuenientes: & ipsa deniq̄ ta
Respublica: quæ omnes o vt
mnum caritates complexa m
est: quo nomine nihil esse m
potest viro bono amabilius, te

aut

is
m
fi
&
m
it
ne
on
ie
vi
u
æ
u
ne
q;
o
xa
se
is
ut


aut iucundius. Itaque non
dubito, te spei, atq; expecta-
tioni huic nostræ de te con-
ceptæ libenter satisfacere
velle: vt non modò paren-
tes, & amicos tuos exhilara-
re; verùm etiam Rempubli-
cam moribus aliquando tu-
is, atque consilijs adjuuare;
adeoq; omnium hominum
amorem, & gratiam, veram-
que gloriam, & existimatio-
nem eodem pacto tibi con-
ciliare possis. Qua in volun-
tate, & constantia animi tui
vt te aliquo modo confir-
marem: hunc ad te libellum
mittere volui: amoris erga
te mei, & beneuolentiæ pi-
ut

ORATIO A iij gnus

gnus, & monimentum per-
petuum futurum. Tu, quod
facis, me mutuò diliges, &
valebis: vnà cum GVALTHE-
RO patre, & MARGARETHA
matre, & CHRISTINA forore
amantissima: quos meis ver-
bis plurimum saluere iu-
beas velim. Lauingæ.

X. KAL. MAII.

M. D. XXCI.



ORATIO

ORATIO
DE OFFICIIS
MAGISTRATVS, ET
subditorum, in Repub. tam
litteraria, quàm ciuili.

A NIC. REVSNERO IVRIS-
consulco habita in Collegio Lauingano.



QVÆ RES IN CIVI-
tate duæ plurimum pos-
sunt: hæ non parum quo-
que momenti habent in
scholis literarum: prudē-
tia magistratus, & subdi-
torum obedientia. Nam

vt felix sit, & fortunata Respublica: non so-
lùm opus esse puto consilio, ac virtute eorum,
qui præsumt: verùm etiam fide, ac beneuolen-
tia eorum, qui subsunt: vtrunque verò hoc
singulare Dei opus, & donum est. Eodem
planè modo is demum status scholæ optimus
esse videtur; in quo & doctores, & auditores
officium faciunt suum: illi quidem recta, &
utilia præcipiendo: hi verò ijs, quæ rectè, uti-
literque præcepta sunt, obtemperando: quod

A iiij sanè

fanè vtrumque vni Deo acceptum ferendum
est. Quod breuiter admodum, & argutè vna
sententia complexus est Salomon ille regum
omnium, quos Sol vidit, sapientissimus; quū
ait: **Vt oculus videat, & auris
audiat: vtrumque facit Do-
minus.** Quam equidem sententiam tam
festiuam, tam concinnam, tam elegantem; vt
nihil ea dici potuerit argutius, aut accōmoda-
tius; quoniam consideratione, & meditatio-
ne diligenti dignissimam iudico: constitui
hodierno die, Generosi Barones, vosque ceteri
Auditores ornatissimi, eam mihi ad dicen-
dum materiam sumere: & de officijs magi-
stratus, atque subditorum, quibus muneris
quoque nostri partes continētur, pauca vobis-
cum disserere: quòd & huic loco, & omninò
officio meo nihil me cōuenientiùs facere pos-
se existimem. Itaq; vt orationis meæ cursum,
bonitatis, atque sapientiæ vestræ aura adjuue-
tis: & non aures solùm mihi attentas, & sedu-
las, verùm etiam mentes benignas, & æquas
adhibeatis; maiorem in modum oro, atque
obsecro. Principiò optimum Reipublicæ sta-
tim in eo consistere Salomon docet: si & ocu-
lus videat, & auris audiat. Per oculum, ma-
gistratum; per aurem, subditos intelligit. Sed
oculum quidem rectè videre; aurem verò be-
ne au-

ne audire necesse est. Quæ enim utilitas est
oculi cæcutientis? & quæ commoditas auris
surdescentis? Nam vt surdus varietates vo-
cum, aut modos noscere non potest: ita nec
cæcus colorum genera distinguere; nec lucis
huius suauitatem aspicere: quo quid est ho-
mini viuenti miserius, aut ærumnosius. Sic
boni magistratus est; quicquid prouideri po-
test in Republica; animo, & consilio prouide-
re: cæterorum verò, qui subiecti sunt, offi-
cium, & munus; sui magistratus præceptis, &
monitis aures patefacere. Quæ duo nisi perpe-
tuò conjuncta sint: id est, si gubernator Rei-
publicæ non habeat secum felix consilium; &
si non suo loco respondeat obedientia subdi-
torum: in eo præsentem esse Republicæ cala-
mitatem, atque perniciem manifestum est.
Cæterùm oculus vt rectè videat; luce opus est:
auris verò vt benè audiat, voce ipsa, aut sono.
Sic vt prudentes sint moderatores, & obedi-
tes subditi: opus est imprimis luce verbi diui-
ni: quæ mentem, atque intelligentiam homi-
nis illuminat: qua prælucente & oculi homi-
nibus aperiuntur; & aures patefiunt: quò me-
lius perspiciant, atque percipiant ea; quæ &
Deo grata, & Republicæ, toti que societati hu-
manæ utilia sint, & salutaria. Quemadmodum
enim is, qui in tenebris ambulat, ipse sibi lu-
men præbere non potest; sine face, aut later-
na, tanquam viæ duce, præeunte: Ita cæcitas

A 5 humana

humana ad Deum non dirigit viam: nisi lucernam, ipse ostendat: quæ est verbum Dei: lux, & veluti dux quædam vitæ: lucerna pedum, & lumen gressuum nostrorum, vt Psalmus loquitur: quod in hac seculi huius nocte, & caligine omninò præferendum est: quum aliquid aut agimus, aut loquimur, aut cogitamus: quò & tutiùs progredj, hoc quasi lumine præeunte; & vitæ huius mortalis iter meliùs conficere possimus. Nam vt Sole exortu euanescent tenebræ; & luce implètur omnia: eodem modo Sols isto diuinitus illucescente animis hominum; omnis vitiorum, affectionumque caligo dispellitur: & splendidissima virtutis pura, amabilisque se profert species: quæ mirabiles sui amores in nobis excitat: vt sapienter scribit Philo ille Iudæus, in libro de Caritate. Sed quænam sunt illa, **A V D I T O R E S**; quæ & oculus videre, & auris percipere debet? Dicam breuiter. Suspiciendum imprimis est cælum: deinde generis humani vniuersitas intuenta; postremò priuata salus spectanda. In hoc verò tenendum est illud; vt dum Reipublicæ inferuias, & Deum colas; quicquid acciderit, boni æquique facias; modo ne sit illud prorsus intolerabile, quum vitari rectè queat. Quæ visionis, eadem auditionis ratio est: vt primo loco Dei, secundo Reipublicæ, tertio sui ipsius, hoc est, mentis, & cōscientiæ suæ, vnusquisque rationem habeat.

Quod

Quod quum vtrunque fit: fieri autem omni-
no debet: tunc verè illud efficitur, quod M.
Tullius scribit: vt & opibus firma, & copijs
locuples, & gloria ampla, & virtute honesta:
addo etiam vt religione sancta, & pietate diui-
na quodam modò sit ciuitas: in quo omnis
Reipublicæ salus, & felicitas posita est. At ve-
rò vt oculos magistratus habeat acres, & acu-
tos: & vt subditi aures possideant teretes, ac
religiosas: vtrunque opus istud, & donum so-
lius Dei est: qui in animis, & voluntatibus
hominum multa moderatur: quiq; in ma-
nu sua non modò cor regis habet: vt idem
Salomon testatur: sed & mentes, voluntates-
q; subditorum: quas suo regit arbitrio: &
quò vult, inclinât. Nam & opus quoddam
Dei est homo: & à nutu, arbitrioq; opificis
totum hoc opus pendet: quem vt dominum,
& parentem suum, cum debita reuerentia,
agnoscere debet: neque ad suam potiùs libi-
dinem, aut etiam priuatum commodum
omnia reuocare: sed & in voluntate eius ac-
quiescere: omnemq; fortunam, & felicitatem
in Republica administranda vni Deo ac-
ceptam referre: quippe qui auctor, & conser-
uator est omnium imperiorum, atque rerum
publicarum. Quare vt magistratus sapiat, &
consulendo, & prouidendo: & vt non modò
videat, quid agatur: sed etiam prospiciat, quid
futurum sit: minimè hoc profectò opus est
industria

industrialiæ, aut prudentiæ humanæ: sed benignitatis, & sapientiæ diuinæ. Deus enim Deus inquam est; qui & consilium, & salutem dat regibus; vt Psaltes ille regius canit. Qui si rectè imperant; vt suo fungantur officio: ne sint, vt Satyricus ait,

Sponsi Penelopes, fruges consumere nati:
neque se dedant voluptatibus; sed vt comedant, (vt cum Tertulliano loquar) quantum esurientes capiunt; & bibant, quantum pudicis vtile est: magnum profectò, & diuinum istud beneficium est. Quòd si aut Sardana- palos, aut Parides, aut Nerones gubernatores, & moderatores habet Respublica: q nihil nisi voluptates, earumque instrumenta quarunt: vt pro labore, desidia; pro continentia, libido; pro æquitate, superbia locum habeat, aut crudelitas: tunc fortuna simul cum moribus mutatur: vt Dei ipsius pœna hæc sit certissima in impios constituta: qui sui contemptum, & populi flagitia plerumque hoc modo vlciscitur. Similiter etiam vt subditi sponte, & vltro obtemperant: omni que fide, ac beneuolentia prosequantur eos, quorum sub imperio sunt, & potestate; adeò vt non modò absque periculi metu se inermes ijs tutò committere; sed & in sinu eorum, quod dicitur, in vtramuis aurem, quouis loco, & tempore, obdormire possint: quod Stephanum quondam Boiariæ principem fortissimum Mediolani apud
Ioannem

Ioannem Galeatium, Insubriæ ducem gloria-
tum fuisse legimus: id verò omne non tam fi-
dei, & probitati subditorum; neq; etiam ma-
gis principum iustitiæ, atque beneficentiæ;
quàm Dei ipsius liberalitati, & sapiëntiæ ascri-
bendum esse puto. Qui vt summum, & ma-
ximum est bonum: ita omne datum optimū,
omneq; donum perfectum à Deo vno ad ho-
mines cœlitus transfertur; tanquàm à patre
luminum; vt Iacobus vocat: cuius munere, &
benignitate omnia bona hominibus suppe-
ditantur. Is nimirum est; qui facit; vt non
in sententiâ solùm, sed etiam in nutu magi-
stratus resideat auctoritas: quæ eius veluti apex
est: filia Honoris, & Reuerentiæ, si Poëtis cre-
dimus: qua nihil magistratus habet sublimi-
us, nihil magnificentius, nihil diuinius. Non
cani, non rugæ repente auctoritatem arripere
possunt: neque nobilitas, aut potentia, aut
opum magnificentia hanc sola parit: neque
virtus, aut sapientia, aut honestè acta ætas, quæ
per se ipsa tamen honorabilia sunt, & lauda-
bilia, fructus auctoritatis præbent extremos;
vt M. Catoni Maiori placuisse video apud M.
Tullium de Senectute. Sed vt magistratus in
ciues non modò auctoritatem, verùm etiam
imperium teneat: quò & metuant eum serui;
& vereantur liberi; & carum habeant omnes;
hoc omne solius est prouidentia, & liberali-
tatis diuinæ: quæ plerumque efficit; vt pluris
fit

fit magistratus apud subditos dignitas: quam
omnes omnium hominum vires, atque po-
tentia. Quid enim quæso Themistocles ille
Atheniensis; vt & prudentia, eloquentiaque
præstaret tantum; & obsequentes in omnibus
haberet Græcos; an non hoc factum vos fuisse
putatis, vtrorumque animos ita moderante,
& quodammodò flectente Deo? Quid Ma-
gnus ille Alexander Macedo, vt & virtute plu-
rimum posset, & auctoritate; non modò apud
milites, & socios suos; qui eum, quum adhuc
iuuenis esset, ac panè potiùs puer; vnum sibi,
ad commune omnium gentium bellum, im-
peratorem depoposcerunt: sed multò magis
apud hostes, & inimicos; quos ipso nomine,
& rumore ita terruit; vt ex locis tam longin-
quis, tamque diuersis, tam breui tempore,
omnes vnà huic sese dederent: an non hæc
omnia diuinitùs accidisse putandum est? Sed
ne profana solùm exempla huc afferam: con-
siderate, si ita vultis, **AVDITORES**, Dau-
idem illum, omnium hominum laudatissi-
mum, eundemque vatem Dei sanctissimum:
qui Dei ipsius accitu euocatus; & ex opilionè
rex factus potentissimus, & imperator felicis-
simus: quum & sapientia, & virtute ad Rem-
publicam gerendam diuinitùs instructus es-
set: vsque adeò fidos, & morigeros habuit sub-
ditos: vt non solùm oratio eius, sed & nuntus
apud hos plurimum valeret. Quippe qui eum
tantoperè

tantoperè amarent, & colerent: vt pro eo mo-
ri; & in discrimen vitæ, ac fortunarum venire
non recusarent: quum omnes propè vna vo-
ce in eo ipso spem se habere faterentur: omnes
periculorum vias intercludentes: & pugna-
eum, atque prælio semel atque iterum sub-
mouentes: ne lux extinguatur in Israël:
vt de eo scriptura sacra loquitur. Quid di-
cam de Iosaphato? quid de Ezechia? quid
de Iosia? quid de alijs regibus, atque Impe-
ratoribus? quos non modò eximia sancti-
tate, & religione ornatos; sed & diuina au-
thoritate, & virtute præditos fuisse constat: vt
verè essent lumina quædam, & veluti oculi sui
imperij: sublimi in loco, & maximè conspi-
cua, tanquàm principes collocati: non secus,
vt oculis natura in corpore summum locum,
cey regiam quandã, attribuit: reliquis meni-
bris omnibus, quæ à ceruice vsque ad imos
pedes pertinent, his veluti pro fundamento
suppositis. Qui profectò reges sanctissimi, &
principes optimi, quum animo plus prospice-
rent: vt & suis populis benè consulere, &
rectè imperare possent; facile apud eos obti-
nerunt: Deo vbique præsentem auctorem, & mo-
deratorem: vt eorum potestati, atque imperio
omnes libenter, & vtrò parerent: tanquàm
aures quædam obediens: non tam quòd na-
turale quodammodò sit imperium eorum,
qui plus animo prouident; quemadmodum
rectè

rectè aliàs docet Aristoteles: quàm quòd di-
uina hæc veluti vis, & dignitas ijs attribuitur:
quos potestatis suæ tanquàm administratos
quosdam, & vicarios in his terris ipse consti-
tuit Deus: suo eos passim nomine deos ean-
dem ob causam nuncupando. Quo fit, vt
propter hanc auctoritatem, qua præditi sunt,
& à Deo ipso ornati; non modo eorum vo-
luntatibus libenter subditi assentiant; & so-
cij obtemperent: sed & hostes obediant; &
ipse adeò feræ bestię quodamodò obsecundet.

Cæterùm, quæ dixi hætenus de magistra-
tus prudentia, & subditorum obedientia; ea
libet mihi deinceps, **AVDITORES**, pro
instituti nostri ratione, ad scholarum disci-
plinam, & Rempublicam literariam breuiter
accommodare: quò meliùs intelligatur ab
omnibus; quis & scholæ status optimus, atq;
perfectissimus sit: & quidnam operæ, & stu-
dij vnumquemque ad eum conseruandum
atq; amplificandum conferre oporteat. Opti-
mum igitur, & perfectissimum scholæ statum
eum esse puto: in quo, vt Salomon docet, &
oculus videt, & auris auscultat: id est, in quo
& doctores sunt eruditi, & dociles auditores.
Primæ ex his partes, vt videtis, sunt doctorum,
& magistrorum: quos & pietate, & eruditio-
ne, omniq; virtute cæteris hominibus ante-
cellere; & eam, quam docent, artem cum in-
genio, & industria profiteri necesse est. Nemo
enim

enim imperitum artificem libenter sequitur: quodque parum nouit, nemo docere potest, vt Poëta canit: tum verò maior plerumque fides viro bono, quàm malo, ab omnibus habetur. Perniciosa autem, & periculosa res est in literarum scholis ἡ πρωτοπειρία, vt Graeci loquuntur: si nimirum doctrina cum disciplina simul instituatur: vt sit, qui docere prius incipiat, quàm discere. Quanquàm enim inficiari non possum: multos præclaro ingenio interdum reperiri: qui meliùs condiscendo expediant aliquid, & vnà cognoscendo: quàm alij nonnulli vsu, atq; exercitatione non iam amplius tyrones, sed veterani: qui idem longè antea & didicerunt, & docuerunt: tamen quoties optio, & facultas nobis datur; eruditorem, magisq; experientem semper præferre vtile, & propemodùm necessarium est. Quandoquidem, vt M. Tullius ait, nemo in eo disertus esse potest, quod nesciat: neque si id optimè sciat; ignarusq; sit faciendæ, ac poliendæ orationis: disertè id ipsum possit, de quo sciat, dicere: contra quàm Socrates iudicare solebat: omnes in eo, quod scirent, fati esse eloquentes. Scitè enim, & venustè admodùm Plato: *μανικὸν ἐπιχειρήματα, ἐπιχειρεῖν διδάσκειν, ἅ ἔκ δὲ ὄιστα, ἀμελήσας μανθάνειν.* Secundæ verò partes sunt discipulorum, atq; auditorum: quos ea virtutis, atque ingenij indole præditos esse oportet: vt & velint, &

B **studeant,**

studeant, & possint ea, quæ honestæ leges, & boni magistratus, & prudentes præceptores præscribunt, attentè audire: & subijcere se imperio eorum, atque potestati, quibus in disciplinam traditi fuerunt: ijsq; in omnibus rebus, quæ ad doctrinam, & virtutem pertinent, obedientiam debitam præstare: & vtrò ea facere, quæ reliqui metu legum, & pœnarum faciunt: quem fructum Philosophiæ longè maximum dixit Aristoteles. Magna equidem res est, eaq; valdè optanda, atq; expetenda in pueri corporis & species, & dignitas, & sanitas: sed animo benè à natura informato nihil profectò est præclarius, aut optabilius. Semper igitur attendi animus in primis debet: qui si corporis quoque dignitate, atque forma commendetur; munitam magis ad virtutem, & auctoritatem viam habet. Verum est enim Maronianum illud:

Gratior est pulcro veniens in corpore virtus.

Sed animi quidem virtutes sunt in eo, qui discere vult: ardor in suscipiendo; studium in inuestigando; acumen in percipiendo; industria in perficiendo; memoria in conseruando: quibus omnibus mentis totius perficitur integritas; quam Plato requirit: quæ & amat veritatem; & odit, quod est contrariū. Omnium verò harum virtutum maxima est obedientia: quæ & laudem meretur maximam: & virtutis quædam nutritrix, & felicitatis procreatrix est

trix est: quæq; vt D. Gregorius loquitur, menti humana cæteras inserit virtutes: easq; iam insertas fideliter custodit. Porrò quid oculũ docentis videre; & quid aurem docentis audire maxime deceat: consideratione dignum iudico. Breuiter dicam, **AUDITORES**: quod & Deo, & vniuersitati hominũ, & sibi vtilissimum futurũ sit. Primum religionis est: alterũ virtutis: postremũ doctrinæ. Nam religionis quidem est; Deum rectè & cognoscere, & colere. Virtutis autem; honestè viuere; & appetitũ rationi obedientem præbere: tũ verò Reipublice legibus, atq; institutis obtemperare. Doctrinæ verò, & disciplinæ; linguas, & artes bonas intelligere: & Spartam suam, quod aiunt, exornare. Quæ tria præceptoribus, & discipulis inter se cõmunia sunt: & communi quasi vinculo ita connexa, atq; colligata: vt mutuas quadantenus tradant operas: neq; vlllo pacto à se inuicè diuelli, aut separari debeant. Nam vt primus sapientiæ gradus est, se ipsum nosse: ita vltimus, nosse Deum: quod rectè, pieque monuerunt quidam Philosophi Christiani: medius autem & inter vtrumque interiectus est, naturæ, & hominũ societatem nosse: & in eam suo labore, & studio aliquid cõferre: quò meliùs ea, & cõmodiùs habeat. Et q se ipsum, id est, mentè, & conscientiam suam non intuetur solum, sed audit: quod is facere videtur; q suo, vt decet, fungitur officio: neque aliorũ ne-

B 2 gocijs

gocijs, aut consilijs se ingerit: neq; locū suū
temerè aut relinquit, aut deserit: sed pro viri-
li tuetur, & ornat: is profectò & singulis pri-
uatim, & sibi domi, & toti rerum naturæ, cu-
ius auctor est Deus, publicè commodat: pro-
pterea quòd omnia sua consilia, & studia re-
fert ad salutem, & felicitatem Reipublicæ: ipsa
verò Respublica ad verum Dei cultum refer-
tur: quem sui cultum benignissimus Deus
beata immortalitate tandem remuneratur
qua nihil homini vberius, aut optabilius con-
tingere potest. Qua de re pulchrè admodum,
& sapienter præcipit Gemisthus ille Pletho-
sumus, & præstantissimus Philosophus: cu-
ius verba clausulæ loco vobis recitabo: Vnus-
quisque nostrūm (inquit) ita natus est pri-
mūm: vt Dei quoddam sit opus: idque non
prorsus alienum; sed quasi familiare, & co-
gnatum. Deindè vt sit veluti particula qua-
dam aliarum partium; quæ se maiores sunt;
nimirum huius vniuersitatis (quæ totum, &
vnum quiddam est conflatum è multis) quo-
uis in loco munus obitura aliquod; cum sibi
tūm vniuersitati quàm maximè profuturum.
Neque verò cuiquam statio diuinitus attri-
buita temerè deserenda est: sed omnibus mo-
dis ea tuenda: & pro virili omne id præstan-
dum; quod ipsa postulare videtur. Quælibet
autem pars, si cum illo, cuius est pars, rectè cō-
sentiatur; & rectissimè agit; & naturam suam
maxime

maximè sequitur. Sed vnusquisque nostrum
pars quædam est tum familiæ, tum cœtus ali-
cuius, vel ciuitatis, vel populi, vel ipsius deni-
que vniuersitatis. Si ergo suum cuiq; tribuat;
vt patriæ, parentibus, magistratibus, liberis,
amicis, sodalibus, ciuibus, vicinis, comitibus,
peregrinis: atque etiam Deo præstet ea, quæ &
domino à famulo, & opifici ab opere debentur:
hæc inquam si ad hunc modum omnia
præstet: tunc coniunctionem, & confociationem
suam cum cæteris seruabit omnibus:
suumque locum rectè tuebitur: & Deum se-
quetur, tuendo stationem suam, in qua collo-
catus est: tum verò in optimo statu erit: vt
qui sequatur id, quod optimum est. Hæc ille.
Quæ quum ita se habeant **AVDITORES:**
officij nostri esse duco: id operam dare sedu-
lò, ac diligenter: vt vnusquisq; nostrum mu-
neris sui partes diuinitus assignatas, non mo-
dò rectè intelligat: verum etiam studiosè exe-
quatur: vt si quidem docendi prouinciam is
susceperit; instructum se esse velit prudentia;
& scientia cum doctrinæ, & virtutis; tum ve-
rò religionis, & pietatis: cum qua fides, & di-
ligentia semper coniuncta esse debet. sin verò
discendi; libenter, & vltro pareat magistris, &
magistratibus suis; honesta præcipientibus,
aut docentibus: aut vtilitatis causa iustè, & le-
gitimè imperantibus: cogitetque illud per-
petuò, quod Xenophon scribit: Obedientiam

B 3 longè

longè maximum, & vnicum bonum esse ad
omnis generis bona nō modò comparanda;
verùm etiam retinenda. Qui enim parère ne-
scit, imperare nescit; veteri monemur pro-
uerbio: & si M. Tullio Ciceroni credimus,
qui benè imperat, paruerit aliquando necesse
est: & qui modestè paret, dignus esse videtur,
qui aliquando imperet. Proinde ego optimis
cum moribus præditum esse iudico: qui (vt
Bernardus docet) nulla in re aut superioribus
refragatur: aut inuidet paribus: aut inferio-
ribus iniuriatur: Deo semper deuotus: magi-
stratibus subditus: magistris obediens: maio-
ribus cedens: minoribus parcens: verbo vti-
lis: corde humilis: moribus denique erga
omnes facilis, & mansuetus. Ac optabile qui-
dem est profectò hæc omnia (quæ dixi) simul
& æqualia esse in omnibus; qui aut docere,
aut discere cupiunt. Verùm quoniam istud
non tam in naturis, & viribus humanis posi-
tum est: quàm in mera gratia, & benignitate
diuina; ex qua sola proficiscitur; vt tam in
schola, quàm in Republica & oculus videat,
& auris audiat: idcirco coniunctis animis vo-
ta nos facere decet: & Deum immortalentem
comprecari: vt pios, & salutes gubernato-
res; non modò rerum publicarum, verùm etiã
scholarum; diuino numine tueatur: eorum-
que mentes, & animos sapientiæ suæ luce il-
lustret: quò & rectum videre, & bonum in-
telligere

telligere queant. Tùm verò vt subditorum,
& discipulorum voluntates conformes red-
dat suæ, & magistratus sui voluntati: quò &
officium suum libenter, ac spontè faciant: &
modestiam, obedientiamque decus in omnibus
officij partibus diligenter retineant: vtque
erga Deum submissè; erga magistratus mori-
gerè: erga alios modicè se gerant: & non nisi
supra belluas, rerum contemptu vilium, &
turpium fuga voluptatum, sese efferre gestiât:
quæ demum est vera, & laude digna elatio,
cum sancta illa, & Christiana humilitate con-
iuncta: quam comitatur sapientia, & virtus,
& gloria: adeoque salus, & felicitas publica,
atque priuata. Quæ res vt ex voto, & animi
sententia nobis benè atque feliciter, eueniat:
te DEVS OPT. MAXIME; cuius nu-
tu, & arbitrio non modò videmus, & au-
dimus; sed & viuimus, & sumus, &
mouemur: omnes piè reli-
gioseque precamur.

DIXI.



B 4 DE

DE STATVIS
PRINCIPVM ET IV-
dicum Thebanorum
Orationes Tres.

ORATIO PRIMA

A GENEROSO DO-
MINO IOANNE GOTHARDO

Streinio, Gabrielis F. Barone Schuarzena-
uio, & Hirsbachio &c. habita.



QVOD M. CRASSVS
apud Ciceronem de ea,
quam tantoperè admira-
tur, benè dicendi faculta-
te, rectissimè statuit: nun-
quam illam non esse ine-
ptam; nisi quum sit ne-
cessaria: idem ego vereor, **AVDITORES;**
ne mihi fortassis obijciatur: si rem minimè
dubiam argumentando quadantenus dubiã
facere; eaq; omnia, quæ pro certis, atq; con-
cessis hætenus sumpta sunt, in contentione
ponere studeam. Sed quia tamen scholarum
est ista consuetudo: vt in vtramque partem
multa subindè in his disputentur; cum inge-
ni

S
V.
D.
D.
VS
ea,
ira-
ta-
un-
ne-
S;
me
biā
on-
ne
um
em
ge-
ni)

nij exercendi, tūm veritatis illustrandæ causæ
age videamus & nos; quod pace vestra facere
nobis liceat; an admirabile aliquid, & contra
opinionem omnium in medium asserere pos-
simus. Quum, auctore Tullio, nihil sit tam
incredibile; quod non dicendo fiat probabi-
le: nihilque tam horridum, aut incultum;
quod non splendescat oratione, & tanquam
excolatur. Ac primū quidem inficiari nec
possumus, nec debemus: vehementer omni-
bus probari ea; quæ de magistratus pruden-
tia, & subditorum obedientia, ex sententia
summi illius, & sapientissimi regis Salomo-
nis, eleganter admodū, & concinnè dispu-
tata sunt: fatemur etiam libenter, atque pro-
fitemur liberè; totam hanc rem vno quasi
verbo, vel potius nutu, aut signo, oculis me-
lius exhiberi nullo modo potuisse: quā quū
magistratum oculatum, & subditos auritos
esse debere significavit. Quo eodem modo
Christus apud Matthæum oculi appellatione
vtitur; quum ait; Si oculus te offendit: erui-
to enim, & abs te abijcito: monens nimirum
illud; minimè assentiendum esse doctori, aut
gubernatori; animos discipulorum; aut sub-
ditorum à Deo abducenti: quemadmodum
hoc D. Augustinus interpretatur. Et Adrastus
apud Pindarum, Amphiarai fratris sui deplo-
rans mortem, atque interitum: Desidero (in-
quit) te, tanquam oculum; id est, gubernato-

B 5 rem

rem totius exercitus: qui vtrumque fueras
& vates, & bellator optimus. Quid est igitur,
A V D I T O R E S; quod aut improbandum,
aut in controuersiam duntaxat ponendum
esse videatur? Dicam vno verbo, si audire
vultis: & dicam ita, vt vos mihi facile
assensuros existimem. Quæro enim ex vobis,
A V D I T O R E S: si quidem ita oculatum,
& perspicacem esse oporteat principem,
& eum, qui cum magistratu, & imperio est;
quid causæ est; cur Thebani quondam,
homines prudentissimi, atque sapientissimi,
magistratum suorum statuas ita efformare
soliti fuerint; vt sine manibus essent: principum
verò, & iudicum; vt aut capti essent oculis;
aut saltem iisdem conniuerent, & veluti
obdormiscerent? Quod Plutarchum in libro de
Iside, & Osiride tradidisse notum est: ex quo
alij potissimum auctores, vt arbitror, hoc
Emblema descripserunt. Quo modo etiam nonnullos
iustitiæ imaginem effinxisse video: quæ DE A
fit, & virgo, oculis clausis, aut velo obductis:
ne hominum vultu (si Dijs placet) ea spectetur,
aut perturbetur: quippe quæ non tam oculorum,
quàm aurium iudicio uti; & ex eo veritatem,
bonitatemq; causæ metiri debeat. Ridiculè sanè
hoc vtrumque: quantum ego iudicare possum:
quum illud potius ex eo significetur: aut in
hominum sceleribus,

leribus, & flagitijs magistratum aliquando
conuiuere debere: aut non omnium eorum,
quæ accidunt, perspicientiam, cognitionem-
que ad eum pertinere: quum fatius sit, mul-
ta sæpè, quæ fiunt, magistratum ignorare,
aut certè dissimulare: si & tranquille sibi, &
alijs iucundè imperare velit. Quod Fride-
ricum III. Austrium, præstantissimum &
bello, & pace Imperatorem, frequenter in
ore habuisse ferunt: vt nescire eum diceret
imperare: qui nesciret dissimulare. Ego ve-
rò contrà sentio, **A V D I T O R E S:** &
omnino ita mihi persuasum habeo: bonum
principem, aut magistratum non modò non
cæcutire, sed nec vlllo modo conuiuere oport-
ere. Quin immò tam perspicaci, & soler-
ti prudentia eum præditum esse debere iu-
dico: vt non solùm videat, quid agatur: ve-
rùm etiam prouideat, quid futurum sit: &
vt quod optimum factu videt, sine inuidiæ
metu liberè & sentiat, & dicat, & faciat.
Quod ita demum rectè curabit: si & ma-
ximi æstimet conscientiam suam: & non
solùm quid possit; sed & quid debeat,
animo secum ponderet: adeoq: totam cau-
sam quàm maximè intentis, vt aiunt, ocu-
lis acerrimè contempletur: nec quantum si-
bi permissum sit, meminerit: sed etiam, qua-
tenus commissum sit: denique si in consilio
habeat legem, fidem, religionem, æquitatem:
libidinem

libidinem autem, inuidiam, metum, cupiditates omnes amoueat: quæ res tenebras, & puluerem, quod dicitur, oculis solent offundere: & iudicium animorum prudens, ac sincerum adulterare: vt nec verum cernere, nec rectum agnoscere amplius queant. Itaque acie opus est non solum oculorum; verum multò magis ingenij, & mentis: vt veritate potiùs, & iuris norma, atque æquitate; quàm cupiditate, aut errore, aut aliqua permotione animi à magistratu semper iudicetur. Quod Chrysippus ille Philosophus mihi significare voluisse videtur: qui, auctore Gellio, iustitiæ imaginem ita expressit: vt puellari virginis forma, aspectu vehementi, luminibus oculorum acerrimis conspiceretur: quòd videlicet magistratum, aut iudicem incorrupto esse iudicio; eundemq; sanctum, & seuerum, & contra improbos inexorabilem; denique vi, & maiestate quadam æquitatis, veritatisq; terribilem esse oporteat. Quo modo etiam Plato in legibus, iustitiam rerum omnium speculatricem, atq; vindicem appellat. Quæ res causam dedit prouerbio; vt iustitiæ oculus dicatur sincerus, atque incorruptus iudex; aut ipsum etiam iudicium: vt videre est apud Suidam, & alios. Et notus est Græcus ille senarius: qui monet, iustitiæ oculum omnia contueri. Quod Orpheus ille Poëta vetus de Sole intellexit: cui iustitiam in primis veteres dedicârunt.

dedicârunt. Vnde Bithynnos iudicia ex ad-
uerso Solis sedentes exercere solitos fuisse au-
tor est Arrianus. Et veteres Theologos iusti-
tiam prodidisse Proclus memorat, è medio
Solis throno per cuncta propagari: omniaq;
in mundo regere, & moderari: non aliter ac
rerum omnium moderator, & dux temporū
Sol esse dicitur: quem M. Tullius in Somnio
Scipionis, mundi mentem, & temperationem
appellat. Quòd si & sacerdotū illorum Ægy-
ptiorum hieroglyphica considerabimus: re-
periemus sanè eos, quum magistratum, aut
Reipublicæ moderatorem significare vellent,
oculum cum sceptro pingere solitos fuisse:
nonnūquàm etiam in sceptro ipso ramuscu-
los complicasse: vt in complexum coëuntes
oculi speciem in medio spectandam informa-
rent: & ex eo principes suos Ægyptiaca lingua
Osirides, quasi multoculos cognominarent:
cuius rei mentionem Plutarchus & Eusebius,
fecerunt. Quid? quod & Deum ipsum, re-
rum omnium moderatorem, & parentem, fi-
gura nuncupationeque oculi, ijdem sacerdo-
tes plerunque expresserunt: vt quemadmo-
dum in homine, qui veluti paruus mundus
est, oculi, tanquàm duces actionum omnium,
& moderatores, cæteris membris, & pulcritu-
dine, & dignitate præstant: ita magni illius
mundi oculus; & pater luminum, vt D. Iaco-
bus loquitur; cœlum, atque terras tuens &
regens

regens

regens Deus; omnibus longè præstet, ac do-
minetur: quem, quum optimus sit, fas nec
est, nec fuit vnquam facere quicquam, nisi
pulcherrimum: tanquam in luce habitantem:
cuius species longè est pulcherrima, atque iu-
cundissima. Quo modo etiam statuam Iouis
olim in subdiali ara, tribus oculis conspicu-
am fuisse Pausanias tradit: ad triplicem eius
prouidentiam, qua cœlestia, & maritima, &
infernâ gubernat, demonstrandam; ad quam
Priamum, Troia capta, incensâque confugis-
se ferunt: quæ postea à Sthenelo, Capanei fi-
lio, Argos translata sit. Ceterum quæ de oculo
hactenus dicta sunt, eadem quoque de au-
ribus hoc modo in dubium vocari posse arbi-
tror. Sed quoniam, vt Poëtæ verbis vtar, al-
ternis facilis labor est, & magis fortassis audi-
toribus acceptus: sanè ego contraham vela:
hoc tanquam pomum Eridis in mediũ proij-
ciam: quod qui volet, apprehendat: & ora-
tionis meæ cursum, si modò honestum,
verumque tueri, ac retinere sen-
tentia est; velis, vt ita di-
cam, remisque pro-
sequatur.

D I X L

D E

DE IISDEM STATVIS.

ORATIO SECUNDA

AGENEROSO DO-

MINO, WOLFGANGO HENRICO

Streinio, Richardi F. Barone Schuarzenauio,

& Freideggio &c. habita.



GOVERO, MI
Sobrine, libenter omni-
nò & cupidè vela pando:
& pomum hoc Eridis,
quod in medium proje-
cisti, obuljs, quod aiunt,
vlnis amplector: neque

alteri cuipiã eius potiundi copiam do: quip-
pe qui & loco tibi proximus: & amore con-
junctissimus; & morum, studiorumque so-
cietate quàm similimus esse volo: vt nihil
possit esse conjunctius, quàm nos inter nos
sumus. Et quoniam Principis illius Theba-
ni imaginem, aut prorsus cæcam, aut saltem
conniuentem minùs probari posse animad-
uerto: tanquàm absurdam fortassis, & ab offi-
cio eius quodammodò abhorrentem: ego de-
inceps, **AVDITORES**, si quidem aures
mihi

mihī patientes accommodare volueritis; ve-
ris, aut certē probabilibus rationibus planū
faciam: non minū absurdum, & à vero alie-
num posse videri alterum illud: quòd tam
patulis auribus principem suum Thebani de-
pinxerint. Quid enim si aures habeat magi-
stratus Bæoticas, aut Batauas, aut planè potius
asininas? an idcirco melius ille & audiet, &
intelliget, quid sibi faciendum sit? Quid qua-
so asino est auritius? at quid eodem stolidius,
aut stupidius? Minimè equidem ignoro, &
libenter istud vobis concedo; nullum aliud
animal, excepto mure, acrius audire, quàm
asinum: quod ita placuisse video Physicis,
eisque maximè, qui animalium naturas in-
dagare solent. Sed an vos eam ob causam plus
in eo aut solertia, aut intelligentia, quàm in
cæteris animalibus brutis, esse putabitis? Ma-
dam Phrygiæ regem fabulantur Poëtæ auri-
culas habuisse asininas: siue quòd acutissimè
fuerit auditus: siue quòd aures habuerit na-
tura prælongas, & asininarum instar promi-
nentes: siue quòd stolido, crassoque præditus
fuerit iudicio: siue potius, vt ego arbitror,
quòd more tyrannorum, delatores, & subre-
pisculatores passim suos aluerit; quibus pro
auribus vteretur: quos Plutarchus ὠτακαστοί
καὶ προσαγωγίδας appellat: vnde illud de
principibus fertur; Regum aures innumera-
bitur

bitur: quod quum in ciues animo esset mi-
nùs sedato, atque placato; sagopidas disposi-
tas habuerit: qui singulorum dicta, factaque
referrent. Quod & ipsum vitio datur Tibe-
rio Cæsari, & Domitiano: quorum ille lucri,
& quæstus faciendi causa, tantum delatoribus
tribuit: vt nemini fidem abrogaret: siue quid
veri, siue falsi referrent: hic verò rapinæ ad-
modum studiosus, ita aures calumniatoribus
patefecit: vt nihil cuiquam tutum, aut san-
ctum esset. Vnde Apelles apud Lucianum
calumniæ imaginem depingens: assidentem
huic facit regem ad dextram: maximas ha-
bentem auriculas: cuiusmodi Midas, (de quo
dixi) habuisse perhibetur. At verò num in-
uentus est quisquam vir bonus aut Poëta, aut
orator: qui sapientiæ, aut prudentiæ laudem
vnquam Midæ attribuendam; ac non potius
fatuitatem ipsius, atque stultitiam incredibi-
lem sibi oratione exagitandam esse duxerit?
Quod si rectè sapere est, benè audire: nihil
profectò esse video: cur alius alio principe, aut
iudice melior, aut sapientior existimetur.
Nam quum vnum sit, & simplex aurium iu-
diciu: idque promiscuè, & communiter
stultis, ac sapientibus à natura datum: vt re-
ctè docet M. Tullius Cicero: quid est, vbi aut
elucere prudentia; aut discerni stultus audi-
tor, & credulus, à cordato, & sapiente magi-
stratu potissimùm queat? Equidem sic existi-
C mo, &

mo, & sic statuo: hoc vnum prudentia, & sapi-
entia in magistratu, & iudice documentū esse
maximū, atq; certissimum: si is nō tam aurium
iudicio, quā animi prudentia, ad vnamquā,
que rem existimandā, momētoq; suo ponde-
randā vtatur: si quicquid auribus infusurra-
tur, ex oraculo aliquo dici non arbitretur: si
quāta auctoritate, quāta animi aequitate, quā-
to pudore, quanta fide, quanta religione, quā-
to studio existimationis bonæ, quanta cura,
quāto timore quidq; dicatur; animo, ac mēte
diligēter circūspiciat: si deniq; voce, & vultu,
omniq; gestu corporis laboret: ne quid aut de
virtute, aut existimatione sua apud alios de-
perdat: tum verò in primis ne quid detrimētū
capiat Respublica; sua vel incuria, vel potius
injuriam. Quæ si princeps, aut magistratus non
amplectetur omnia cōsilio: sed vel improba-
rū hominū calumnijs, vel assentatorū menda-
cij aures suas quasi pruriētes patefaciet: vt sua
potius libidini, & voluptati, quā fidei, aut
religioni obsequatur: malè profectò, & omni-
nò pessimè agi cū ea Republica manifestū est.
Quomodo enim benè agetur cum eiusmodi
Republica: in qua plus valet obsequiū aurium,
quā iudicij veritas? vbi candor periculosus,
libertas ingrata; sermo infidiosus; assentatio
iucunda; frons omnium familiaris; multorum
animus iratus; iracundiæ occultæ; blāditia a-
perta; denique ficta, & falsa sunt omnia? Ma-
gna

gna, AVDITORES, ac immò potius ma-
xima est rerumpublicarū pernicies assentatio:
quæ nihil habet ingenui, nihil aperti: neque
quicquā rectum, aut magnū spectat: sed malis
cōfidit artibus: et iudiciū veri tollit, idq; adul-
terat: omniū vitiorū & scelerū non modò ad
iutrix, sed nutrix, atq; pcreatrix: cuius maxi-
ma culpa est in eo; q & veritatē aspernatur: &
in fraudē obsequio impellit. Quæ pestis si vn-
quàm afflixit Rēpublicā: hoc pfectò tēpore
miserè omnino affligit: quo nullius ppemo-
dū libera, aut ingenua vox auditur: quippe
quū ad gratiā, et voluptatē et fiant, et dicantur
omnia: maximè verò in aulis regū, & princi-
pū: in quib⁹ ferè præcipua est adulationis pale-
stra: vt ostendit Ephemeris aulica Antisthe-
nis. Nam etsi præstātes viri, & heroica virtute
præstantes natura Parasiticā auersantur: fit ta-
mē sæpenumerò; vt si aures libētius præbeant
omnib⁹, quàm par est; diuturna consuetudine
adulatorū capiātur: qui palpant blanditijs: &
aures famæ bibulas, calice Babylonis inebri-
ant. Quod vel vno Alexandri Magni exemplo
notū est: qui quū assentatores primū sum-
mo odio haberet: adeò vt Aristobulo, rerum à
se gestarū historiā sibi inter nauigandum re-
citant; quod immodicè eum laudasse videretur;
ereptū manibus librū in Hydaspem flu-
uiū abijceret: tamē postea fortuna, & rerū suc-
cessu ebrius; eò insanīæ ab his redactus fuit: vt

C 2 diuinos

diuinos sibi honores arrogare minimè vere-
retur. Adeò misera, & rationis, virtutisq; ini-
mica est adulatio: vt si quis aures huic præbeat
suis esse desinat: & ex aliorū assentatione ma-
gis, quàm ex sua conscientia, se, suaque metia-
tur. Quàm verò detrimētosa, & quàm exitiosa
res sit adulatio: satis hoc declarat exemplum
Phinei, Arcadiæ, vel, vt alij volunt, Thraciæ
regis: de quo est in fabulis Poëtarum. Qui
quum vxoris suæ alterius blanditijs, & illece-
bris omnes liberos suos, quibus eam nouer-
cam induxerat, crudeliter & omninò nefarie
excæcasset: ipse quoque diuinitus excæcatus
fuit: harpyis ei de mensa epulas præripienti-
bus, & contactu suo scædantibus: donec ab
Hercule tandem miserè trucidatus est. Quo
sanè figmento Poëtæ significare voluerunt
potentes homines ita sæpe meretricijs amoribus,
atque improbis assentationibus demen-
tari: vt nihil rectum ampliùs cernere, ac vide-
re queant: vtque tyrannidem exerceant in
subditos, qui liberorum loco sunt: & imma-
nissima scelera perpetrent: profusis nimirum
opibus in eiusmodi assentatores: qui regum
ac principum mensis, veluti harpyiæ, infi-
dent: & regna eorum, prouinciasque labefa-
ctant: quos tandem miserrimus exitus, adeo-
que extrema egestas consequitur. Sed est ple-
runq; coniuncta cum assentatione calumniarum,
omnisque pactorum, fœderum, legum, factio-
rum

rum, dictorumque improba, & malitiosa interpretatio: quæ & ipsa est pestis, & calamitas Republicæ maxima: a qua nulla innocentia, morumque sanctitas tuta est: materia, & veluti seges quædam bellorum, atque dissidiorum civilium: unde plerunque magna existit eversio familiarum, urbium, prouinciarum. Quod Thelys Sycophantæ exemplum apud Diodorum Siculum docet: qui Sibarim potentissimam olim, atque maximam veteris Græciæ ciuitatem perdidit. Quo in loco etiam extat seuerissima, atque prudentissima contra Sycophantas lex Charondæ Thurij: qui pœnam eiusmodi sanxit in calumniatorem: vt is myrica coronatus, per ludibrium in comitijs populi circumduceretur: & ab omnibus quauis contumelia, & quouis conuicio impunè exagitaretur. Quorum exemplo populus Romanus postea legem sanxit: vt calumniæ conuictis nota in fronte inureretur: qua improbi homines à bonis faciliùs dignoscerentur: quemadmodum indicat M. Tullius Cicero pro Sex. Roscio. Sed hanc deinceps pœnam ita exasperarunt Imperatores Romani: vt non modò flagellis caesos delatores, per amphitheatri arenam spectandos traducerent: sed & capite eosdem aliquando mulctarent: quod de Vespasiano, & Tito, & Antonino Pio Cæsaribus memoriæ proditum est. Quanquam haud scio, vtrum sit in-

C 3 justius;

justius: calumniari, an verò calumnias auscultare: si Herodoto credimus: vt pari vtrunque crimen pœna coërcendum esse videatur. Scitè igitur, & omninò verè Callipho ille fenex apud Plautum:

*Homines (inquit) qui gestant, quicq̃ auscultant
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant: (criminalis)
Gestores linguis, auditores auribus.*

Quid? quòd ira (vt aiunt) in auribus habitat. Quòd fit; vt si magistratus libenter audiat; quæ audire nec vtile, nec fortassis necessarium est; multa interdū præcipitanter, aut iratè faciat, vel suscipiat: quæ fatius fuisset ommittere. Quod & experientia notum; & exemplis summorum heroum compertum est: in quibus magnos plerunque, & repentinos animi motus esse constat: quos reprimere, & moderari longè difficilimum est. Quamobrem Epicharmion illud tenendum est: neruos, atque artus esse sapientiæ, non temerè credere. Quod & Pythagoras monere vult: quum vetat, cuius dextram iniicere: quandoquidem ea sit hominū malitia: vt non modò sermo, & frons sed vultus quoque, & oculi persæpe mentiantur. Quod rectè mihi intellexisse videtur Alexander ille Macedo, & re, & nomine Magnus qui quum in causis, præsertim criminalibus sederet iudex; accusatori alteram aurem occludebat: vt integram eam reo conseruaret. Et Apollonius percundanti regi suo, quæ

nam ratione tranquille, & pacate regnum fir-
um administrare possit: Si (inquit) paucis fi-
dem habeas. Neque illud sane immerito. Qui
enim facile audit, facile credit: qui autem fa-
cile credit, facile fallitur. Itaque prudenti opus
est diffidentia: ut ita credatur amico, ne sit ini-
mico opus: sicut præclare scribit Mimogra-
phus. Quod vel maxime necessarium est in
magistratu: quem Plato de Repub. optat; ut sit
τὰ ὠτὰ διατεθρολλημένος: id est, qui aures
habeat obtusas, & hebetes ad rumores, & fa-
bulas populares. Quod etiam pertinet alterum
illud Plautinum è Truculento:

Non laudandus est is, qui plus credit quæ audit,
quàm quæ videt: non placet, quum illi plus lau-
dant, quæ audiunt, quàm quæ vident. pluris est
oculatus testis vnus, quàm auriti Decem: qui audi-
unt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.

Ex quibus omnibus perspicuū esse arbitror:
quàm noxiū, et perniciosum sit Reipublicæ: si
nimis laxas, & patulas aures habeat magistra-
tus: & si delatoribus quibusuis, & nugatorib⁹ fa-
cile aditū ad se præbeat: ijsq; temere fidē adhi-
beat. Verū enim uerò quoniā non sine rati-
one, et causā simulacrū hoc Principis Thebani
à sapiētibus hominibus confictū fuisse appa-
ret: nō abs re facturū eum puto: qui telā hanc
orationis nostræ artificiosè retexat: & quæ vis
sit huius emblematis, & quæ sententia; diserta
oratione explicet. Id quod toti huic coronæ
auditorum imprimis gratum, & acceptum fu-
turum planè mihi persuadeo, **DIXI.**

DE IISDEM
ORATIO TERTIA
A NICOLAO REVS-
NERO IURISCONSUL-
to habita.



QVOD DE ACHIL-
le traditum est à Poëtis:
vna eademq; hasta eum
Telepho et vulnus, & opè
tulisse: idem planè mihi
videor ad me ipsum con-
uertere posse: si quod vul-
nus antea oratione mea inflexi: nunc iterum
sanare, & quasi obligare studeam. Laudo au-
tem inprimis studium, officiumq; vestrum:
Illustres Barones: quòd argumentum hoc die
cendi vos potissimùm sumere volueritis: de
quorum ego virtute, & industria, benè & sen-
tire, & loqui semper soleo: quibus ornamen-
tis magnos vos esse, vereque generosos, atque
illustres, apud homines cordatos, & sapientes,
existimare debetis. Et quoniam vobis mi-
rum videri intelligo: quod quum & oculum
videre, & aurem audire debere Salomon do-
ceat; principem suum Thebanis cæcum, &
auritum facere, in mentem potissimùm vene-
rit

rit: conabor equidem, si ita vultis, emblemata
hoc suis quasi coloribus illustrare; & quam
non modò vero consentaneum, sed & lepore
quodam festiuum sit; oratione mea demon-
strare. Quo in loco primùm vos illud admo-
nendos esse arbitror: olim, quum nondum,
Platonis opera, loquax esse didicisset Carnea-
dis, & Chryssippi sapientia; omnia breuibus
symbolis, & quasi emblematis, quæ re ipsa
quodammodò loqueretur, à sapientibus ho-
minibus fuisse tradita; quæ ad vitæ humanæ
cultum, atque informationem pertinerent,
Cuius generis sunt primorum illorum ho-
minum, non modò Hebræorum, sed Aegy-
ptiorum imprimis, & Chaldæorum symbola:
quæ hieroglyphica, id est, sacras sculpturas
appellârunt: quibus mysteria quædam, & ar-
cana sapientiæ suæ complexi sunt: quæ ijs dū-
taxat cognita esse voluerunt; qui ijsdem sacris
initiati forent: ne ab imperita multitudo
temerè ea profanarentur. Quam Aegyptio-
rum Philosophiam primùm Chæremon tra-
didisse fertur: vnà cum altero illo Oro Apol-
line Niliaco: auxit deindè hanc Pythagoras:
cuius adhuc extant symbola; quibus tanquã
mysterijs quibusdam magnam doctrinæ suæ
partem latere voluit: post quem multùm de-
inceps hanc artem illustrârunt Philosophi
tam Latini, quàm Græci: quorum in nume-
ro sunt Athenæus, Cyrillus, Clemens Ale-
xandrinus,

C 5

Alexádrinus, Pausanias, Porphyrius, Plinius:
Apuleius, Plutarchus: & qui post hos, quos
recēsi, totam hanc sapientiam vno quasi vo-
lumine complexus est, Ioan. Pierius Valeria-
nus. Sic ex eodem sapientia fonte originem
suam traxit Thebani illud principis simu-
lacrū: quem & cæcum, & auritum finxerunt,
alios verò iudices, qui huic assident, man-
cos; id est, manibus mutilatos. Ac cæcum
quidem principem idè fecerunt: ne is spe-
ctator, & acceptator esset personarum: auri-
tum verò, vt eò magis in ipsam causam in-
tentus foret; neque quicquam per incuriam
non audiret: ipsos denique iudices mancos;
ne pecunia, & largitionibus se corrumpi pate-
rentur. Manus enim supina, aut in pugnum
compressa auaritiā in hieroglyphicis nota-
re solent: oculi verò, gratiam, & fauorem:
aures autem, maximè si extantes sint, & aper-
tae, docilitatem, & cognoscendi studium. Ca-
put igitur est in omni procuratione negotij,
& muneris publici: vt iniuriā, & auaritiā
vel minima pellatur suspicio: & ne vel
quæstui habeatur Respublica: vel contra eam,
in cuiusquam fauorem, aut odium ali-
quid committatur: quod non modò tur-
pe, sed omninò sceleratum, & nefarium est.
Quam ad rem non tam oculis opus est: quàm
auribus rectè intelligentibus: ne suspicioni-
bus, aut coniecturis plus interdum tribuatur;
quàm

quàm fides & religio postulat: neúe ad gra-
tiam varietur iudicium: sed vt conferuetur
illud æquabile: & manifestis argumentis in-
uestigetur causæ ipsius veritas. Nam vt Sol
lucem suam æque impertit omnibus tam
pauperibus, quàm diuitibus: ita iudex
non tam personam, quàm rem spectare de-
bet. Et sicut vno clauso oculo acutiùs ple-
rumque perspicit is, cui propositum est colli-
neare hastam aliquò, aut sagittá: sic magistra-
tus rectiùs intelligit ea, quæ iusta sunt: si nul-
lius personæ respectu auocetur: neque opes,
aut potentiam confectetur: sed totum se tra-
dat Reipublicæ: totamq; eam sic tueatur; vt
omnibus cõsulat: & simplicè veritatè, & æqui-
tatè contra omnium odium defendat. Ponit
enim personam priuati hominis; quũ induit
magistratus, aut potiùs ipsius Reipublicæ: cu-
ius vnus dignitatem, & vtilitatem spectare
debet: etiam cum incommodo & suo, & suo-
rum. Itaq; omni affectu eum carere oportet,
qui Rempublicam gubernat: ne aut amo-
re, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolo-
re, aut latitia, aut spe, aut timore, aut er-
rore, aut aliqua permotione mentis po-
tiùs iudicare videatur: quàm aut veritate,
aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut
iudicij formula, aut legibus: & vt semper,
non quæ velit ipse, sed quæ salua fide facere
possit, cogitet: denique vt legum similis sit:
quæ

quæ ad iudicandū, aut puniendum non libidine, sed æquitate ducuntur. Præclare enim ille, quicumque dixit: eandem esse debere voluntatem iudicis, & legislatoris. Adeoq; sapiens, & iustus rex, vt Plato vult, est viua lex; qui è scrinio sui pectoris omnem depromit æquitatem: quæ sinistram odij, vel amoris dextram omninò nescit. Nam talis debet esse iuris, & legum minister: ne vllius auctoritate personæ in manu eius titubet, aut vacillet libra iustitiæ: sed qui omninò ita veritati, honestatique adhærescat: vt nec de obtinendo, iure eum orari, nec de iniuria exorari oporteat: operamq; det sedulò, & diligenter; vt iuris, & iudiciorum æquitate suum quisque teneat: ne vel tenuioribus imbecillitas, vel locupletioribus ad sua tuenda, aut recuperanda oblit inuidia. Quare non solum verbis, sed & vultu laborare magistratus debet: ne qua significari possit suspicio cupiditatis: quæ ex oculis maximè deprehenditur: propterea quòd, vt Callistratus ait, non est constantis, & recti iudicis; cuius animi motum vultus detegit. Tum verò aures habere debet religiosas: easq; non obtusas criminatione; sed vacuas, & omnium querelis æquè patentes: in quas non fictè, & simulatè, quæstus causa, insusurretur: sed quæ id, quod audiunt, existimentur audire: vt ad Q. Fratrem scribit M. Tullius Cicero. Nam & in hoc sapientia iudicis

dicis est, aut boni magistratus: vt in vtraque parte audienda diligentiam, & fidelitatem præstet: exemplo Magni illius Alexandri: de quo iam antè dictum est. Quo modo & Attica lege iurabant iudices: se velle, vt Græcè loquar, ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροῦσθαι.

Quod & Phocylides præcipit hoc versu:

μηδ' ἐ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκροῦσῃς. Nam, vt Menander ait,

ὁ προκαταγνώσκων, πρὶν ἀκροῦσαι σαφῶς, αὐτὸς πονηρὸς ἐστὶ, πισεύσασθαι κακῶς.

Quam sententiam hoc modo protulisse videtur Seneca in Medea:

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera:

Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Maximè verò cauere debet iudex, aut magistratus: ne à iustitia, & æquitate abduci se patiatur, aut munerum corruptela, aut magnitudine pecuniæ: neue quæstum putet pietatem, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ: quum ingentes diuitiæ, iudiciorum religionem, veritatemque soleant perfringere: & hebetare sensus humanos: & opiniones iustas peruertere. Nam Stratoclem, & Dromoclidem quis iniquo animo non ferat: quorum sermo omnis erat; quum de Republica, aut iudicio conferrent: vt se mutuò ad messem auream inuitarent? Quid? quòd sacrilegij genus habitum est: accipere munera in magistratu:

stratu: quod & diuinis, & humanis legibus summè vindicari solet. Vnde Iustinianus Imperator vetat iudices vllum lucrum contingere debere: sed præ alijs omnibus mundas Deo, & magistratui, legibusque manus perpetuò seruare. Et alio loco in loco auaritiã omnium malorum matrem nominat: maximè si ea non priuatum, sed iudicum animis inhaereat. Ad summam, ne vos pluribus teneam; A V D I T O R E S: is demum bonus magistratus, aut iudex est: qui veritatem in omnibus sibi propositam habet: quam solam intuetur: & ad quam, veluti ad Lydium lapidem, omne iudicium suum accommodat. Quod olim Aegyptij sacerdotes (quos eosdem quoque iudices fuisse constat) Principem suum, quem omnium optimum atque æquissimum esse oportebat; monere voluerunt: Sapphiram gemma, quæ Veritatis nomine nuncupatur, de collo ipsius suspensa: quòd nimirum is veritatem in animo, menteque insitam, & infixam, perpetuò secum circumferre deberet: quippe cuius munus sit, verum semper sequi. Caueant igitur omnes, qui magistratum gerunt: & prudenter attendant: ne in causis dijudicandis, (Libet enim mihi Innocentij Quarti Pontificis verbis vti) quicquam sibi aut odium vindicet; aut fauorem usurpet: utque timor exulet; neque præmium

aut expectatio præmij, iustitiam euertat: sed
vt stateram gestent in manibus: & lances ap-
pendant æquo libramine: denique vt in
omnibus, quæ in causis agenda erunt; præ-
sertim verò in concipiendis, & ferendis sen-
tentijs, præ oculis habeant solum DEVM;
secundum cuius imperium iudicent: cogi-
tantes illud, se DEVM omnium suarum
actionum habere testem, ac vindicem: cui
sux aliquando administrationis rationem
reddituri sunt. Atque hæc ego breuiter de
Principis illius Thebani simulacro responde-
re volui: quæ omnia non minùs docto,
quàm arguto Epigrammate complexus est
Andreas Alciatus, Iurisconsultus clarissi-
mus: quod vobis ad extremum recitabo:

Effigies manibus trunca, ante altaria diuim

Hinc resident: quarum lumine capta prior.

Signa potestatis summa, sanctique Senatus,

Thebanis fuerant ista reperta viris.

Cur resident? quia mente graues decet esse quæta

Iuridicos: animo nec variare leui.

Cur sine sunt manibus? capiant ne Xenia: nec se

Pollicitis flecti, muneribusque sinant.

Cæcus at est Princeps: quòd solis auribus, absq;

Affectu, constans iussa Senatus agit.

D I X I,

PRO.

PROBLEMA.
PLVS NE STVDI
is oculi conferant,
an aures?

A IOAN. GEOR
GIO A ROTENHAN EQ. FRAN
co propositum, in Progresionibus solennibus
scholæ Lauinganae:
ANNO M. D. LXXVII.
Calend. Aprilis.



TSI CONIECT
ra mihi assequi non
difficile, AVDITORES
quid præceptores me
omni honoris, & repu
rentiæ cultu obseruand
primum locum inter co
tribules mihi assignando, de me sentiam
nunquam tamen adduci potuissem: vt ad
in præsentia tot doctissimorum hominum
verba facerem: nisi grauisissimi sceleris infla
fore putassem; & præclaris huius scholæ leg
bus, & præceptorum meorum voluntati
pugnare. Quamobrem vt me verecundia im
peditur

peditum adolescentem, humanitate vestra,
& æquitate sustineatis: meque breuiter di-
centem benignè, ac libenter audiatis: maio-
rem in modum vos oro, atque obtestor. Pro-
ponam autem in medium quæstionem: meo
quidem iudicio, à studiorum nostrorum ra-
tionibus non abhorrentem: vtrum nimi-
rum plus studijs conferant oculi, an verò au-
res? De qua sanè in vtramque partem ha-
ctenus disputatum fuisse video. Ac oculo-
rum quidem visus, aspectusque quanta sit
dignitas, & necessitas; neminem dubitare
arbitror: cuius rei infinita afferri possunt ar-
gumenta: quæ breuitatis studio omitto. Sed
ex his non postremum locum obtinet illud:
quod sine visione, lectio nulla esse, aut omni-
no fieri possit: quæ animi est oblectatio; &
quoddam veluti pabulum studij, & doctrinæ:
quo & animus ipse sustentatur, & reficitur;
& quasi in statu suo conseruatur: illudque
tandem efficitur: vt quo vno homo bestijs
præstat; in hoc hominibus ipsis antecellat:
& perpetuum, firmumque habeat non mo-
dò rerum secundarum ornamentum; sed &
aduersarum adiumentum, atque perfugium.
At verò auditionem plus quodammodò af-
ferre momenti ad eruditionem consequen-
dam; non paucioribus, & (vt ego arbitror)
firmioribus rationibus conuinci potest. Ete-
nim si fides est ex auditu; Apostolo teste: quĩ
D fit

fit per verbum Dei: quanto magis ceterarum
artium humanarum cognitio auscultatione
opus habet: quæ voce magistri tradenda, &
auribus discipuli percipienda est? Suus enim
quisque pessimus est magister: multo quæ
plus valet viua vox doctoris: quam opinio
cuiusque priuata: quam ex se discipulus g-
gnit: cum qua eum quàm sapissimè errare
& decipi manifestum est. Quapropter rectè
mihi Aristoteles dixisse videtur; quem ego
summum docendi, dicendique artificem esse
iudico: plus ad scientiam, quæ mentis quæ-
dam lux est, facere auditum, quàm visum
quod ea, quæ audiuntur, firmitus inhaerere
animis; quàm quæ conspiciuntur: &
Poëta canit,

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor

Quid? quod idem Philosophus τὴν ἀκοῆν
τῆς παιδείας αἰσθησιν appellat? Et Isocrates
τὴν φιλικότατον ἀπὸ δ' αἰῶν λόγων compe-
diosam esse viam perueniendi ad sapientiam
affirmat. Quid verò aliud est lectio, & auscul-
tatio librorum; quàm animi quædam volu-
ptas? Quæ non tam ad oculos, quam men-
tem hominis pertinet. Animus enim acci-
pit, quæ videmus: animo autem multis mo-
dis varijsque delectari licet: etiamsi non ad-
hibeatur aspectus. Sapientis namque cogi-
tatio non fermè ad inuestigandum adhibet
oculos aduocatos: & viuere, homini docto
& eru-

& erudito est cogitare. Proinde is demum rectè videre putatur; qui animo potius, quam qui oculis videt. Ut non sine causa Philemon ille Græcus dixerit: eum hominem, qui mente sibi non constet, neque audire, neque videre rectè quicquam posse. An non Homerus cæcus, & idem tamen Poëta fuit sapientissimus? An non Tiresias cæcus, & idem augur fuit verissimus? An non Alcibiades cæcus, & idem fuit Philosophus exercitatus, atque nobilissimus? Quid dicam de Diodoro Stoico? Quid de Democrito Philosopho? quorum ille, quod sine oculis fieri posse vix videtur, Geometriam docuit: verbis præcipiens discen-
tibus, vnde, quò, quamque lineam scriberent: hic verò, quò melius philosophari posset, seipsum excæcavit: propterea quòd animi aciem impediri arbitraretur aspectu oculorum. Itaque quum alba, & atra luminibus amissis discernere non posset: bona tamen, mala, aqua, iniqua, honesta, turpia, vtilia, inutilia, magna, parua optimè poterat: & cui sine varietate colorum licebat viuere beatè: huic sine notione rerum non licebat. Taceo de Appio Claudio Cæco, quem & ex magistratibus, & ex rebus gestis satis apparet in illo suo casu, nec priuato, nec publico muneri defuisse. Taceo de C. Druso: cuius domum compleri consultoribus soli-

tam accepimus: quum quorum res esset, sui
ipsi non videbant, cæcum adhibebant ducem.
Taceo de Cn. Aufidio Prætorio: quem & in
Senatu sententiam dixisse; ne amicis delibe-
rantibus defuisse: & Græcam scripsisse histo-
riam, & in literis vixisse M. Cicero testatur.
Itaque licet Vlpianus cæcos, & vtrisque lumen
nibus orbatos à Prætoribus repelli scribit: quod
insignia magistratus videre, & reuereri non
possint: quomodo & Labeo refert, Publium
Cæcum Asprenatis Nonij patrem auersa sella
à Bruto destitutum, quum vellet postulare
eosdem tamen & senatorium ordinem retine-
re; & iudicandi officio fungi posse man-
festum est. Præclare igitur Antonius illi
Martyr, ad Didymum quendam, hominem
eruditum, sed oculis captum scribens: Mi-
nimè (inquit) tibi molesta sit luminis cæci-
tas: quippe oculi tibi defunt: quos mures
lacertæ, & muscæ habent: sed gaude potius
habere oculos; quos angeli habent: quibus
& Deum, & res diuinas contemplari tibi
licet. Atque hæc sunt, vt opinor, præcipua
argumenta: quæ me permouent; vt credam
maior vim esse aurium in percipienda do-
ctrina, quàm oculorum: eamque ob causam
operam nobis imprimis dandam esse: vt præ-
ceptores in scholis docentes attentè, & dili-
genter audiamus: modò veræ, & perfectæ sa-
pientiæ, virtutisque compotes esse velimus.

Sed quoniam tamen non modò turpe, ve-
rùm etiam perniciosum esse duco; aut falsum
sentire; aut quod non satis exploratè perce-
ptum sit, cum pertinacia quadam defendere:
placet mihi audire eruditioris cuiusdam hac
de re sententiam: qui & ætate, & gradu do-
ctrinæ me antecedit. Te igitur compello,
Georgi Salzhubere, Commilito carissime: vt
quæ ex me audiuiſti, ad coticulam, atque in
disquisitionem tuam reuoces: & quid de hoc
argumento sentias, liberè exponas. Noſti
enim vetus illud dictum; homini ingenuo
nuſquàm eſſe maiorem gloriæ ambitum:
quàm vbi maximum veritatis patrocinium
ſuſcipitur.

D I X I.

R E S P O N S I O

GEORGII SALZ-
HUBERI BOII.



VANTA ASSIDU-
itate, & diligentia opus
ſit bonarum artium ſtu-
dioſis; ad veram, & ſoli-
dam eruditionem com-
parandã: nemo noſtrũ
ignorat, A V D I T O-

R E S. Quandoquidem, vt Poëta canit,

D 3 Nil

Nil sine magno

Vita labore dedit mortalibus: & secundum Comicum, Qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt. Contra verò, Labor omnia vincit improbus: & ingeniū ubi intenderis, valet

Verū enim verò qua in re potissimum hæc consistat diligentia, & assiduitas: & verè auscultando, an potius legendo, contemplandoq; liberalis doctrina comparetur: de eo vehementer à plerisque dubitatum fuisse affirmas. Quanquam verò nonnullis rationibus asserere videris: plus doctrinæ comparandæ aures, quàm oculos conferre: mihi tamen rem totam hanc accuratius consideranti, planè contrarium statuendum esse videtur. De quo ego dum paucis meam expono sententiam; & postulationi tuæ honestissimæ, potius virili satisfacere studeo: spero equidem, ut planè potius confido; maximam audientiam qualicunque orationi meæ facturam, totius huius concionis ornatissimæ summam, & multis rebus mihi cognitam, perspectamque humanitatem, atq; benevolentiam. Primum igitur maximam vim possidere auscultationem, & audiendi attentionem, ad excellentiam doctrinam consequendam: id verò in fieri planè nec possum, nec debeo. Nam si rerum humanarū, siue diuinarum scientiam consequi volumus; auscultatione opus est.

que assidua, & diligenti: sed ea tamen non
sola: verum quæ alijs quibusdam admini-
culis fulta sit; quæ multò magis sunt vtilia,
& necessaria. Quorum in genere est dili-
gens meditatio, & cura: quæ ex lectione
proficiscitur: lectio autem oritur ex visione:
ex oculis verò ipsa visio propagetur neces-
se est. Caterùm oculis subiectæ sunt res
longè maximæ, atque præclarissimæ: vt sa-
cræ literæ, quibus religionis doctrina tra-
ditur: vt mundus, & natura, & quæ in
his continentur omnia: quorum cognitio-
nem nullam habere possumus; sine contem-
platione ipsius vniuersitatis rerum; & sine le-
ctione optimorum auctorum: qui de tota re-
rum natura solerter admodùm, & peritè scri-
pserunt: quorum cogitatione quid quæso
homini studioso esse potest admirabilius?
quid optabilius? quid iucundius? Quam
ad rem profectò plurimum adiumenti af-
fert visus: propterea quòd quæ oculis in-
tuemur, facilius & ipsi intelligere, & alijs
explicare possumus: verumq; est Poëtæ illud:

Segnius irritant animos demissa per aurem:

*Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.*

Ex quo etiam Iustinianus Imperator
magis veritatem oculata fide, quàm per au-
res animis hominum infigi posse confirmat.

D 4 Cuius

Cuius rei hanc rationem affert Aristoteles: quod nimirum aspectus per se, & vi sua, nulliusque alterius opera percipiat: auditus vero aliena magis opera, quam sua: quoniam disciplina oratione traduntur; quæ constat ex nominibus: nominum autem vnumquodque signum, & quædam veluti nota est. Quò pertinet etiam illud, quod Candaules ad Gygem pastorem regium dicit apud Herodotum: τὰ μὲν ὦτα τυγχάνει ἀνθρώπων ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν. Atque hoc ita verum esse communis testatur experientia: quæ docet pluris esse oculatum testem vnum, quam auritos decem: propterea quòd qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt: vnde est apud Comicum. Quid? quòd auditorum genus istud, quòd non tam oculis, quam auribus studere solet, apud veteres plerumque irrisum fuisse legimus: adeò vt auditorum nomen in contumeliam transferit: quòd Seneca proditum fuit. Quemadmodum & acroamata Græcis, id est, auditiones plerumque in malam partem accipiuntur: vt merito Iuuenalis conquestus fuerit de suo magistro; qui discipulos suos vexarit, non docuerit, dictatorum prolixitate: quum in Satyræ prima scribit in hunc modum:

*Semper ego auditor tantùm? nunquàmne reponam?
Vexatus toties ranci Theseide Codri?*

Impugn

*Impunè ergo mihi recitauerit ille togatas?
Hic elegos? impunè diem consumpserit ingens
Telephus? aut summi plena jam margine libri
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Orestes?*

Quid? quod M. Tullius Cicero libro de somnio Scipionis, aurium sensum omnium hebetissimum fatetur? & alibi iudicium aurium commune, & promiscuè omnibus tam stultis, quàm sapientibus datum esse contendit? Neque verò me mouet auctoritas quorundam: vt Homeri, Tiresiæ, Asclepiadæ, Diodori, Democriti, & aliorum: quos nominasti: qui quum oculis cæci essent, animo perspicaces admodum, solertesque fuerint: qui que licet alba, & atra luminibus amissis discernere non potuerint, nihilominus ad iusti, atque iniusti cognitionem, discretionemque fuerint idonei. Quasi verò mentis suæ prudentiam, intelligentiamque non antè adepti fuerint: quàm oculos amiserunt? Præsertim quum laboriosissimos, ingeniosissimosque eos homines fuisse constet: quemadmodum ex Democrito apparet: qui omnes labores ocio iucundiores esse dixit: neque quicquam tam molestum; quàm ignauium ocium. Quid verò magis conuenit inertio ocio; quàm oscitantia, & ignauiam eorum; qui aurium iudicio contenti, oculorum aciem negligunt? Sunt enim nonnulli adeò ociosi, & inertes; vt præceptorem quidem

D 5 docen-

docentem fortassis audiant: ceterum ipsi
deinceps domi suæ non laborent: nempe
auribus magis, quàm oculis fidentes. Con-
tra hos rectè Homericum griphum propo-
nere possumus: quem ex Odyssæa Maro ita
transtulit:

*Sunt geminæ somni portæ: quarum altera fertur
Cornea: qua veris facilis datur exitus umbris:*

Altera candenti perfecta nitens elephanto:

Hæc falsa ad terram mittunt insomnia manes.

Siquidem ebore dentes, cornu verò oculi
repræsentantur. Quæ enim oculis à no-
bis cernuntur: ea & certissima sunt: &
memoriæ firmiter in hærent: quæ verò au-
ditu solùm de ore aliorum percipiuntur:
incerta sunt quadantenus, & fluxa, eaque
per nebulam quasi conspecta, celeritè eua-
nescunt. Itaque studijs, & disciplinis plus
cornea pupilla confert; quàm dentes ebur-
nei. Atque hæc omnia, quæ dixi, non eò
à me proposita sunt: quod nullam plane
auscultationem in scholis vtilem, & salu-
tarem esse existimem: qua & ipsa carere
nullo modo possumus: modò ad optatam
studiorum metam peruenire voluerimus. Sed
opus est, præter hanc auscultationem, lectio-
ne, ac repetitione assidua; quæ à discipu-
lo domi suscipitur: sine qua omnis ma-
gistrorum industria, institutioque langui-
da est quodammodò, & manca: opus est
præterea

præterea memoria, & recordatione rerum
lectarum, atque auditarum: quæ visu plu-
rimùm adiuuatur, atque confirmatur: opus
denique annotatione, & scriptione dome-
stica: quæ nullum ad discendum, reminiscen-
dumque præsidium est firmitus, atq; præstan-
tius. Multùm igitur omnino legendum:
multùm scribendū est: & proficiendum, dum
scribimus, & dum legimus: & scribendum,
legendumque, dum proficimus: & si Plinio
credimus, tam diu discendū, quàm diu igno-
ramus: imò verò quàm diu viuimus. Maximè
verò opera danda est omnibus studiosis ado-
lescentibus: vt non nisi præmeditati, & ad
discendum parati, scholas literarum accedant:
& ex his rursus non nisi probè instructi, in-
formatique discedant: minimeque contenti
esse velint sola auscultatione: sed vt domi
singula perlustrent oculis; & animo reuol-
uant; & ore quasi ruminent; & vt quicquid
audiunt, leguntque, ita in arcanis memoria
totum recondant: tanquàm ad vsum huma-
narum actionum mox accommodaturi. Quæ
quidem omnia vt maximè sunt necessaria,
& vtilia: ita sine visu, & oculorum obtutu
perfici nequeunt. Atque in hoc quidem,
Eques nobilissime, vt mecum tibi conue-
nire planè existimo; ita te oscitantem, & dor-
mitantem auditorem fuisse hætenus non re-
perio: quem tam illustri, & honorifico indu-
stria

stria, diligentiaque testimonio, à schola vni-
uersa ornatum esse video. De quo equidem
vt debeo, tibi gratulor: eumque honorem ti-
bi Deum Optimum Maximum perpetuo
fortunare volo. D I X I.

DE MALA, VEL
BONA FAMA NON
negligenda

ORATIO PRIMA.

A IOANNE PHILIPPO
FUCHSIO A PINBACH
in Mœren &c. recitata.



COMMUNE ILLE,
AUDITORES, qui-
cunque dixit, dixisse hoc
mihi videtur: Placet mi-
hi mala fama, benè par-
ta. Quo equidem dicto
monere illud voluit; quod

M. Tull. Cicero alicubi scriptum reliquit:
inuidiam virtute partam, gloriam, non inui-
diam putandam esse. Nam est seculi huius
labes quædam, & macula; virtuti inuidere:
cui maximè inimicum esse solet, vulgus im-
peritum:

peritum: præsertim si huic coniuncta sit præ-
stans, florensque fortuna: cuius comes est in-
uidia: quæ plerumque bonos insectatur: qui-
bus malè loqui quæstui habent homines Itul-
ti, atque improbi: quippe in quorum lingua
solus hic thesaurus situs est, vt Comico placet.
At verò nihil ego minùs homini timendum
esse censeo: quàm eiusmodi inuidiam, aut ob-
trectationem: præsertim viro bono, qui vir-
tutis, innocentixque vallo quasi septus, &
munitus est: qui que satis magnum habet
præsidium in conscientia, & vita anteacla.
Nam (vt Sophocles ait) ad eum, qui habet,
serpit inuidia: quam ferre, nisi felix, aut for-
tis, nemo potest: neque vlla tam modesta est
felicitas: quæ malignitatis detes vitare omni-
nò queat: adeoque misera est virtus, quæ ini-
mico vel fauissimo careat: vt rectè monet
Publius. Neque enim tam nobis, quàm bo-
nis, quæ nos circumstant, homines inuidet.
Quò fit, vt qui inuidet, sibi quidem igno-
miniam faciant; illi autem, cui inuidet, glo-
riam pariant: quum semper sibi inimica sit
inuidia: auctore Chrysofostomo: quippe quæ
Matræ est bellua illa; more polypi, ipsa se
comedens: vt prouerbum habet apud Athe-
næum. Sola verò miseria caret inuidia: cui
magis opus est commiseratione: qua longè
melior est ipsa inuidia, teste Pindaro. Nam
verū est, quod Plautus scribit in Truculento;
Mauelim

Mauelin mihi inimicos inuidere, quam me inimicis meis. Nam inuidere, alij bene esse, tibi male esse, miserum est: Qui inuident, egent: illi quibus inuidetur rem habent.

Neque verò vllam causam satis magnam, & probabilem video: cur aut malam vulgi famam magnoperè pertimescere; aut bonam tanto studio & labore aucupari debeamus. Fama enim, quam sequimur, (vt rectè quidam monet) ventus est, fumus est, vmbra est, nihil est. Quippe quæ non est vera, & solida illa gloria; & consentiens laus bonorum: & incorrupta vox bene iudicantium, de excellenti virtute: quæ quia rectè factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda: sed potius aura illa popularis, & opinio vulgi temeraria, atq; inconsiderata: & plerumque peccatorum, vitiorumque laudatrix: quæ habet speciem gloriæ: quæque simulatione honestatis, formam eius, pulcritudinemque corrumpit. Proinde vt incertum est vulgus, atq; instabile: propterea quòd non tam ratione, quam cupiditate hoc agatur: ita multitudinis testimonium non modò (vt Cicero ait) non grauissimum, sed omnino leuissimum est: poniturque id, secundum prouerbium, in aqua fundamentum; quòd cunque in opinione, & rumoribus vulgi collocatur. Neque enim ideò laudabile quicquam perhibendum est, quia placeat multis: quin immò potius turpe etiam hoc esse sapius

pius: & si quando turpe non sit, tamen non esse non turpe, quum id à multitudine laudetur, iudicandum est. Quod Phocion ille Atheniensis iudicio suo comprobavit: cui quum in causa quadam ab vniuersa multitudine populi maximè applausum fuisset: reuersus is domum admodum tristis amicis suis dixit: valde se vereri; ne quid improbè & malè comprobatum, actumq; esset. Quid? quod tanta vis est virtutis; vt non modò se ipsa contenta, sed per se ipsa laudabilis sit: quæ est, vt Poëta canit,

Ipsa sibi merces pulcerrima: solaque late

Fortunæ secura nitet: nec fascibus vllis

Erigitur: plausiue petit clarescere vulgi:

Nil opis externæ cupiens: nihil indiga laudis:

Diuitijs animosa suis: immotaque cunctis

Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Adde quod ea est probitatis vis: vt tamen si aliquando oppugnetur, nunquam tamen planè expugnetur. Quod Publius ille Mimus docet hoc versu: (tur.

Bonū quod est, supprimitur, nequaquam extingui-

Quemadmodum enim flamma diutiùs compressa, maiori impetu exilire; & lucem vndique maiorem diffundere solet: ita veritas, & iustitia, si ad tempus prematur, longè fit illustrior, vbi postea tandem emerferit. Quin immò licet ea plenè occultetur, & veluti in tenebris

tenebris delitescat; vrgente nimirum hominum improborum maleuolentia, atque calumnia: haud sanè illud bono viro ægrè minus ferendum esse puto: cui abundè satis magnus theatrum est sua codscientia: quæ nullius linguæ preces inuenit: qua qui contentus non est; is fortassis rationem sui non habet: & se propemodùm negligit: quo vel teste suam causam non satis probat. Quod præclare hoc modo intellexit Alexander Magnus: qui regium esse dicebat: malè autem re, quum benefeceris. Nimirum edoctus hoc, & exemplo confirmatus, à patre Philippo: qui acerbis lacesitus conuicijs ab Archidione quodam Archæo; quum occidendi hominis occasionem haberet; non modò eum malè non accepit: sed & singularibus affert muneribus: quo pacto illud perfecit; vt de in posterum apud Græcos benè honorificè passim loqueretur. Sic & Ægis, quum audiret, esse nonnullos, qui sibi inuiderent, & de loquerentur: Rectè, inquit. nam geminae habent molestiam; quos & sua ipsorum mala discruciant, & bona mea. Quò etiam pertinet Aristippi illud: qui conuicijs à quodam piam laceratus; se ab eo tacitus subduxit: quum ab eundem eum maledicus adhuc inquireretur: & rogaret, quonam fugeret? Quam niam (inquit) tibi quidè malè dicendi potestas est: mihi verò non est potestas malè autem

endi. Scitè igitur, & omninò verè Socrates:
Principium benè viuendi est, malis displice-
re. Et Hector ille Nauianus: Lætus sum
(inquit) laudari me abs te, Pater, laudato viro.
Ea enim denum iucunda laus est: quæ ab
his proficiscitur: qui ipsi in laude vixerunt.
Quamobrem opera danda est omnibus, A V-
DITORES: vt in omni vita ita nos gera-
mus: ne aut suspicione criminis, aut calum-
nia improborum digni existimemur: sed
probitate, & honestate vitæ (vt Diogenes
monet) inimicos nostros maximè vlcisca-
mur: quod si assequimur: non mediocrem
industriæ, ac bonitatis nostræ mercedem nos
accepisse iudicemus. Quòd si omnino obtre-
ctatio aliqua, aut mala fama, præter meri-
tum, nobis accidat: magno sanè animo eam
contemnamus: & virtute, æquitatèque supe-
remus: freti non modò rectè factorum con-
scientia: verùm multò magis summi
atque optimi Dei iudicio: cuius
benignitati, & voluntati o-
mnia accepta referre
meritò debemus.

DIXI.

E O R A.

ORATIO SECUNDA
A IOANNE ALBERTO AB ANVVEIL &c.
recitata.



VI PLACERE SIBI
dixit malam famam, be-
nè partam: IOAN-
PHILIPPE FVCHSI
na ille argutè magis
quàm verè mihi hoc di-
xisse videtur: vt senten-
tia mea cum tua oratione, in eo non plane
consentiat. Quod vt ita credam; satis magnas
& fortassis iustas causas habeo: quibus cogno-
tis facillè omnes hos auditores mihi assensu-
ros puto. Sic enim existimo, & sic statuo: fa-
mam vt temerè spargi non solere; ita nec te-
merè eam quenquam subire, aut negligenter
oportere: maximè verò vulgi famam: quæ
quoddam multitudinis testimonium, & quæ
si ventus popularis; qui facillè huc illuc per-
flatur: vt vix vllò modò reuocari amplius
posse videatur; quod in vulgus, tametsi fal-
sum sit, semel ita dimanarit. Quin immo
potiùs bonam famam ab omnibus experen-
dam esse censeo: in primis verò bonorum,
virtute præditorum; quæ verè sola gloria ma-
minat

minari potest: cuius fundamentum est virtus:
fine qua nihil potest esse laudabile. Quan-
quam enim nullum theatrum virtuti (vt re-
demones) maius est conscientia: quæ opti-
morum consiliorum, atque factorum testis
est in omni vita: qua contenti, & negligere
humana; & sine vilo metu, summa cum ho-
nestate, viuere possumus: tamen si minus no-
stri, at aliorum causa opus esse arbitror; vt si
rumorem bonum non colligere; saltem apud
omnes bene audire studeamus. Nam vt bo-
na cōscientia propter Deum, & nosmetipsos;
ita bona fama opus est nobis propter eos, qui-
bus cum viuatur. Quod rectè omninò, & sa-
pienter in hanc sententiam disputat Aurelius
Augustinus; quum ait: Propter nos consci-
entia nostra nobis est necessaria: propter vos
(Clericos intelligit) fama nostra non pollui-
tur; sed pollet in vobis. Sic duæ res sunt, con-
scientia, & fama. Bona conscientia necessaria
est tibi: bona fama, proximo tuo. Crudelis
est, qui conscientia suæ confidens, famam ne-
gligit. Quòd si non solùm à crimine, verùm
etiam suspitione criminis quàm longissimè
abesse, virum bonum decet: quantò magis in
eo huic elaborandum est; vt non modò infamiam
criminis, licet ea falsa fuerit, quoquo
modo effugiat: sed etiam vt commendatione,
& fama perpetua virtutem, si non maiorem, at
certè illustriorem reddat. Nam opera virtu-

tis, vt Hieronymus testatur, sine fama boni
odoris non satis illustria sunt, & manifesta
quoniam & vbiq; cognoscitur, quisquis fa-
ma teste laudatur; adeoque bona fama in te-
nebris proprium retinet splendorem, auctori
Seneca. Et profecto digna est virtus gloria
tione: quippe propter quam iure laudamur
& in qua recte gloriamur: cuius ea quoque
vis est: vt vel in hoste ea amabilis esse soleat.
Quid? quod honestus rumor, (vt Mimus ha-
bet) alterum est patrimonium? Quid? quod
bona opinio hominum tutior est pecunia
quam damnum appellandum sit, cum mala
fama lucrum; vt idem Mimus scribit. Quis
verò improbius est; quam famam, & existi-
mationem hominum non vereri? Quid tur-
pius, & homine indignius; quam veritatem
& innocentiam suam non tueri? Quorum
illud impudentiae proprium est; quae labes est
totius honestatis: hoc verò iniustitiae; sine
qua nulla virtus consistere potest. Itaque
placet mihi Augustini sententia illa: qui non
audiendos esse dicit eos; qui reprehensi
crimen aliquod, aut potius suspicionem co-
minis; à quo tamen longissimè absunt; con-
tinuò dicunt, sufficere sibi coram Deo confi-
entiam suam: famam, & existimationem ho-
minum de se non imprudenter solùm, verum
etiam crudeliter negligentes: quo ipso occu-
dunt animas aliorum; siue calumniantur
via

viam Dei; quibus secundum suspicionem
suam quasi turpis, quæ casta est, displicet vita
sanctorum: siue etiam cum accusatione imi-
tantium; non quod vident, sed quod putant.
Eamque ob causam eum, qui à criminibus
flagitiorum, aut scelerum vitam suam cu-
stodiat, sibi quidem benè facere: qui verò
etiam famam tueatur: eundem in alijs quo-
que misericordem esse idem Augustinus asse-
rit: propterea quòd nobis quidem vita, alijs
verò fama nostra quodammodò sit necessaria.
Quamobrem non solùm maleficiorum su-
spiciones omnes cauere: sed & si quid falsi,
in nos confictum, aut dictum sit, à nobis rur-
sus amoliri; & mendacia famæ redarguere: &
opem iustitiæ implorare; & veritatem causæ
nostræ, innocentiamque liberè testari; eam-
que contra omnium odia quouis modo tueri
omniò debemus: si modò viri boni esse, &
videri volumus. Quod fecisse olim legitur
Caninius ille: qui quum à C. Cæsare, Ger-
manici filio, maiestatis arcesseretur; tanquàm
consciens conjurationis, quæ in eum fuerat
parata: animosè admodum respondit: Si ego
scissem, Cæsar; tu nescisses. Et M. Tullius
quum argueretur; quasi & ipse de Cæsaris cæ-
de aliquid præsensisset: Utinam (inquit) Bru-
tus, & Cassius me ad eam causam inuitassent:
nihil tunc omnino reliquiarum superfuisset;
quæ nunc nos exercent. Quæ exempla satis
declariant;

declarant; eos, qui tam liberè, & audacè
verba fecerunt, non modo conscientia: sed
sed famæ quoq; magnam habuisse rationem
omniq; cura, & diligentia prouidisse; a
improborum hominum tela, quæ in
coniecissent, aliquò hærent: sed quoq;
modo antè, quàm penetrarent, hebetarentur
aut planè potiùs eluderentur. Neque illud
profectò injuria. Nam, vt vetus habet pro
uerbium; calumniandum est audacè: quo
nam semper aliquid hæret: neque omnino
est irritum, quod vulgus dicitur: quemadmo
dum Aristides sentit in defensione Pericli
Quod idem sapienter monet antiquissimus
Poëta Hesiodus his versibus:

Rumores hominum cures vitare molestos.

Fama, malum est: oritur, surgitq; facillima.

Difficile hanc perferre, graue est sedare coortat.

Irrita nec prorsus volat hæc: quia numè & ipsa

Adeò verum est, quod Aristophanes scri
bit: contra Sycophantæ morsum nullum
remedium. Cum quo consentit Diogenes
illud apud Laërtium; qui rogatus, cuiusnam
animantis morsus esset perniciosissimus: Es
feris (inquit) calumniatoris; ex cicuribus
adulatoris. Quò etiam referri debet Salomo
nis illa sententia: quæ in Prouerbijs legitur.
Melius est nomen bonum, quàm diuitiarum
copia: & bona gratia, quàm aurum, atq;
argentum. Et altera illa Siracidæ in Ecclesi
astico


flico: Cura, vt bonum nomen habeas: quod
mille thesauris est longè præstabilius, & ad
perpetuitatem stabilius. Atque hæc quidem
omnia, quæ dixi, vt certa, & omninò vera esse
statuo: ita in eo mihi tecum, mi Sodalis, con-
uenire arbitror: quod ita demum malam fa-
mam non vsque adeò curandam esse putas: si
& virtute parata; & ex inuidia, malevolentia
quæ hominum, quæ nullo alio modo præca-
ueri queat, orta esse dicatur: quam eandem
ferè sententiã habet dictum illud; quod ora-
tione tua comprobasti. Quod igitur reliquũ
est: operam demus sedulo, & diligenter: vt
bonam famam bonorum, quantum in nobis
est, bona semper ratione colligamus: & ve-
ram, solidamque gloriam virtute, & doctrina
consequamur: vtque tales esse omnino studea-
mus, quales haberi velimus: quæ vnica, &
quasi compendiaria via est ad gloriam, secun-
dum Socratem: adeoque vnicum, & longè
maximum amuletum calumniæ, atque inui-
diæ: cuius tamen si aliqua fortassis tempestas
omninò subeunda est: feramus sanè æquo, vt
debet, animo: & in Dei potissimùm bonita-
te, & fide conscientie nostræ acquiescamus:
in qua satis est præsidij ad benè beateque vi-
uendum: cui nec fortunæ vis, nec hominum
improbitas multùm obesse poterit. D I X I.


L A V I N G Æ


Excudebat Leonhardus Reinmichalius,


[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]











RELIGIONIS
OPUSCULUM







Th

5859